

Tunc Fortunatus patriarcha dixit: « Rogo vos, filii, nobis dicere veritatem. Qualem consuetudinem sancta ecclesia mea metropolitana in territorium Istriense inter vos habuit? ».

Primus omnium primas Pollensis dixit: « Quando patriarcha in nostram civitatem veniebat, et, si opportunum erat, propter missos Dominorum nostrorum aut aliquo placito cum magistro militum Graecorum habere, exhibat episcopus civitatis nostrae cum sacerdotibus et clero vestiti planetas cum cruce, cereostados et incenso, psallendo, sicuti Summo Pontifici, et iudices una cum populo veniebant cum signis, et cum magno etiam recipiebant honore. Ingredientem autem ipsum pontificem in domum sanctae ecclesiae nostrae, accipiebat statim ipse episcopus claves de sua domo et ponebat eas ad pedes patriarchae. Ipse autem patriarcha dabat eas suo maiori et ipse iudicabat et disponenebat usque in die tertia: quarta autem die ambulabat in suum rectorio ».

Deinde interrogavimus iudices de aliis civitates sive castella, si veritas fuisset ita. Omnes dixerunt: « Sic est veritas, et sic adimplere cupimus. Nos vere amplius super patriarcha dicere non possumus.

« Peculia autem vestra dominica, ubicumque nostra pabulant, ibique et vestra pascant absque omni datione: volumus ut in antea ita permaneat.

« Nam vero super episcopos multa habemus quod dicere:

« I. capitulo: Ad missos imperii sive in quacumque datione aut collecta medietatem dabat ecclesia, et medietatem populus.

« II. capitulo: Quando missi imperii veniebant, in episcopiis habebant collocationem, et, dum interim reverti deberent ad suam dominationem, ibique habebant mansionem.

« III. capitulo: Quaecumque cartulae emphitheoseos, aut libellario iure, vel non dolosae commutationes numquam ab antiquum tempus corruptae fuerunt, et ita ut nunc fiunt.

« IIII. capitulo: De herbatico, vel glandatico nun-